



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Canones de Sacrificio Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

CAPVT IX.

Quia verò aduersus veterē hanc in sacro-
 sancto Euāgelio, Apostolorum traditio-
 nibus, sanctorumque Patrum doctrina funda-
 tam fidem, hoc tempore multi disseminati
 sunt errores, multaque à multis docentur, atque
 disputantur; sacrosancta Synodus, post multos
 grauesque his de rebus maturè habitos tracta-
 tus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ
 huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ aduersa-
 tur, damnare, & à sancta Ecclesia eliminare,
 per subiectos hos canones constituit.

DE SACRIFICIO
Missæ.

CANON I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo ve-
 rum & proprium sacrificium, aut quod offerri
 non sit aliud, quàm nobis Christum ab mandan-
 dandum dari: anathema sit.

CANON II.

a I. Cor. 12.
b Luc. 22.

Si quis dixerit, illis verbis, a Hoc facite in
 meam commemorationē, b Christum non in-
 stituisse Apostolos sacerdotes; aut non orde-
 nasse, ut ipsi, alijque sacerdotes offerrent cor-
 pus, & sanguinem suum: anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificiū tantum esse

la-

laudis, & gratiarū actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumēti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere: anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse: anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, vitia impietatis esse magis, quam officia pietatis: anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Ecclesie Romane ritum, quo summissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse. aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse, vino in calice offerendo, eò quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.

Decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.

Quanta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quiuis facile existimare poterit, qui cogitarit, male dictum in sacris literis cum vocari, a qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac diuinum, à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium. quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiã apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa iam siue tēporum vitio, siue hominum incuria, & improbitate inreperire videatur, quæ à tãti sacrificij dignitate aliena sunt, vt ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi edificatiõem restituatur.

a Hier. 48

de-